

fecisset amicum. *Affabilitas*; quia comitas potissimum in sermone relucet, dum in congressibus nos loquendo, respondendo & audiendo faciles & jucundos præbeamus atque justam sermonis suavitatem convenienti modo, loco & tempore impertimur, ut *Pythagoras* cum pueris oratione puerili, cum mulieribus muliebri, cum Principibus item congrua ipsis & fortunæ apta loquebatur. Est enim summa inscitia in personarum varietate τὸ τὰ λόγῳ μονότροπον, idem orationis genus tenere. *Cælius lib. II Antiq. lect. cap. 7.* Popularitas, vel quia omni populo exhibenda, vel quia populares maximè volunt & observant, populares decet, populares reddit, ut *Antigonus*, cum sentiret filium ergà subditos insolentius se gerere, an nescis, inquit, ô fili, regnum nostrum nihil aliud esse, quam splendidam servitutem. *Alian. lib. 2. variar. hist.*

§. IV. Comitatem describimus, quod sit virtus moralis, quâ in conversatione aliquis & quæ oportet, & sicut oportet, vel admittit vel improbat. *4. Ethic. 12.* Comitatem esse virtutem, probat ipse *Philosophus* ab extremis, cum enim in conversatione seriâ, societate & convictu jucundò possimus nos malè & benè gerere, necessariò danda est aliqua virtus: quæ docet, quomodo nosmet semper benè gerere debeamus. Hinc argumentamur:

*Ubi datur excessus & defectus, duo extrema virtutepabilia, quorum alterum in excessu, alterum in defectu peccat, ibi dabitur aliquis habitus medius, laude dignus, à quo utrumq; vitium justa mediocritate corrigatur.*

*Atqui in seriâ conversatione dantur duo extrema (adulatio nempe & morositas) E. etiam ibi datur virtus, per quam utrumq; vitium ad justam mediocritatem redigitur.*